



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

82. De Synodo Traiect. prima. Quo anno habita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO LXXXII.

De Synodo Traiectensi prima. Quo  
anno habita.

**S** Willibrordus solertissimus Pastor, ut tam in plebe, quam in Clero iuxta monitionem Apostoli, omnia honeste & secundum rectum Ordinem fierent, Synodum Ultraiecti celebrauit, medium saluberrimum ad fidem Catholicam conseruandam & propagandam, quod antiqui Patres frequentissime usurparunt. Quo anno eam coegerit, non clare habetur exploratum. Baronius tom. 8. ad annum 697. postquam explanasset reditum S. Willibrordi ex Dania, qui capite 13. apud Marcellinum erat relatus, subdit statim, reliqua post mortem Pipini acciderunt, insinuans ijs verbis, Synodum, quam consequenter ipse enarrat, & de qua agit Marcellinus cap. 14. celebratam post Pipini de vita decessum. Sed reuera Synodus hæc multos annos præcessit obitum Pipini, cum insistendo eidem Marcellino, quem tanquam fidelissimum Scriptorem sequitur Baronius ex Decreto huius Concilij Swibertis ad Westphalos, Bruinswicanos, & Boructuarios concesserit, & post longam apud eos in fide Christiana dilatanda consumptam moram, à Pipino demum Werdam impetrarit. Pipinum morti vicinum inuiserit, &c. ut ex sequentibus capitibus liquet. Si luberet Marcellino adherere, inferrem potius collectam fuisse anno 700. aut statim postquam absoluta trium aut quatuor annorum in diuersis Prouincijs peregrinatione Traiectum conuenerant, de quo cap. 13. Doceremur hoc ex eiusdem cap. 19. quo narratur

ratur Swibertus an. 705. ad Boructuarios peruenisse peracta Synodo: antequam autem illuc deueniret, facile tres quatuorue annos consumpserat inter Westphalos, Saxones, Bruinſwicanos, quos similiter adierat ex vi eiusdem decreti Synodalis. Verum relicto Marcellino, probabilissimum mihi est Synodum contigisse anno 697. aut 698. postquam Willibrordus iam Ecclesiam & Cœnobium fabricasset: nihil enim prius in curis ponere debuit, quam de agendis deinceps consulere, decernere. In Episcopatu nouiter instituto multa disponenda erant: præterea non potuerunt non toto elapso sexennio prædicationis multa difficilia incidisse, quæ omnia expedire oportebat. Quæ ergo ratio differendi? Sane cum populus fidelium numero esset adauctus, nec modicus restaret ad fidem veram adducendus, decebat vigilem Præfulem de Christianis prospiciendo, de cæteros luce Christiana perfundendo, de prouincijs partiendis, parochijs condendis ad vitandam ataxiam, alijsque ad illa negotia necessarijs, quamprimùm congregato Concilio consulere, nec ulterius protelare. Sic legimus Sanctum Hubertum apud Robertum in notis quamprimùm Leodiensis Ecclesia in Cathedralem esset euecta, in eadem Synodum celebrasse. Dicta Synodus sub S. Willibrordo numeratur prima Synodus Ultraie&ensis, quia prior non traditur. Plures subsequentibus annis illo Præside fuisse peractas, non est quod dubitemus, quamquam de illis nihil nobis sit relictum: Normannorum furori primæua celeberrimæ Ecclesiæ Archina cesserunt.

M m 3

DISSERT.